



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 47. Canobius a Papa ad Cæsarem ablegatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI  
A. C. 1561.

„videtur, quippe in eo juxta cæremo-  
nialis Romani præceptum, quod habe-  
tur lib. I. c. 3. sectionis decimæ quar-  
tæ, Episcopi duntaxat, Abbates, & ii  
„omnes convenient, ac subscribunt Præ-  
sules, qui secundum formam jura-  
menti, quod ad dignitates promoti  
„exfolvunt, ad Synodum venire tenen-  
tur; inferiores autem Ecclesiastici, ac  
„sæculares Principes consulendi, ac in-  
struendi, non autem deliberandi, &  
„decernendi gratia interesse permittun-  
tur: inde autem evenit, ut non solum  
„illi, qui ob crassos, & erga Deum con-  
„tumeliosos errores se ab Ecclesia Ro-  
„mana separarunt, contra promissum a  
„Paulo III. ad Synodi initia factum non  
„audiantur, sed ut multi, ac peritiores  
„ex illiusmet Ecclesiæ gremio Doctores  
„ad sententiam dicendam non admit-  
„tantur, hinc libertas, in qua spes far-  
„ciendæ concordiaæ reliqua erat, omni-  
„no auffertur, atque ad scissuram nun-  
„quam e domo Dei eliminandam ja-  
„nua aperitur.,,

### §. XLVII.

*Canobius a Papa ad Cæsarem  
allegatus.*

Pallav. cap. 9. n. 1. § 12. **C**um hæ calumniæ ad irritandos Ger-  
maniæ Principes essent divulgatæ,  
hinc Papa suos Nuntios ad eosdem ab-  
legare

Sæc. XVI.  
A.C. 1561.

legare statuit, ac primo Canobium ad Cæsarem decernebat, specietenus quidem, ut Bohemiæ Reginæ rosam auream deferret, re tamen ipsa, ut cum Imperatore de pluribus, variisque negotiis ageret. Præprimis ergo Canobio injunctum, ut apud Ferdinandum, & Bavariæ Ducem excusaret, quod Papa cum Caraffis juxta æquitatis leges severius agere suisset compulsus, simul vero utriusque comprobatum redderet, quod conscientiæ lex vetuisset mitius agere: Verum præcipua huic Nuntio mandata dabantur circa proximam Synodum; quapropter Viennam delatus exponebat, quod a Pontifice duo Legati Gonzaga, & Seripandus jamjam Tridentum missi, & ad maturandum Synodi initium ingentes habitu fuerint apparatus, atque ideo Sanctitas sua impense rogaret Cæsarem, ut omnes Germaniæ Episcopos statim, ac Synodus inchoari posset, ad Tridentinum iter paratos esse curaret: cum vero Canobius Papæ Nuntius haud ignoraret, quod Cæsar exoptaret, ut ipsem summus Pontifex unacnm Patrum Senatu Concilio interesset, hinc eidem exposuit, quod Papa, licet semper Cæsaris votis non modo annuere, sed etiam ea prævenire paratus esset, in præsenti tamen rerum vicissitudine eundem rogaret,

F 4 quate-

Sæcul. XVI. quatenus huic postulato minime a Pa.  
A.C. 1561 pa satisfieri posse, ipsus consideraret, eo-  
quod res ibidem nondum satis essent  
digestæ, quapropter Pontifex potius  
cum Cæfarea Majestate colloquium Bo-  
noniæ habere desideraret, ut ibidem  
communi consensu ea, quæ ad matu-  
randum hoc negotium expedirent, de-  
cerni possent.

His quoque addebat Canobius, quod  
fibi a Cæsaris Oratore Romæ fuisset si-  
gnificatum, præstolari Imperatorem re-  
sponsum a Papa, cum autem hic, de quo  
respondeat, ignoraret, hinc de Cæsaris  
mente certior reddi velit: cum autem  
in prioribus Synodis consuetudo tulis-  
set, ut Græcorum Imperator, atque hu-  
jus Nationis Principes ad Concilium vo-  
carentur, idcirco Papa Cæsaris arbi-  
trio relinquit, an ad eam Legationem  
aut Commendonum nunc Lubecæ a-  
gentem, aut Delphinum decernere velit.

### §. XLVIII.

#### *Cæsaris Responsum ad Papæ Nuntium.*

Pallav. n. 3. Ad hæc respondit Ferdinandus, „fieri  
„non potest, ut Germaniæ Episcopi  
„eo mittantur; vobis enim ipsis sat com-  
„pertum est, quam periculosa evaderet  
„absentia, nisi forte pariter ad Syno-  
„dum